

385

383

389

379

394

374

434

334

484

284

Ende

Anfang

370

ceni cum lapidibus processionem confundant. Et satis mirum est, quod tantum committunt; nam ante centum vel quinquaginta annos non permisissent, nec ante XX annos in tanta libertate erant Christiani, sicut nunc sunt. Deus pro sua laude adaugeat, ne in finem claudantur ora canentium se in tam sanctissimis locis.

**De loco, ubi Saulus servavit vestimenta lapidantium
sanctum Stephanum.**

Expediti circa portam auream venimus descendendo per praeceps via aspera et lapidosa ad locum quendam, ubi stat petra, quae est in summitate plana. Super hanc petram posuerunt vestimenta sua carnifices illi, qui sanctum protomartyrem Stephanum lapidare volebant, ut expeditius jactare possent, et fortius ictibus Sanctum perimere. Et Saulus adolescens huic aderat spectaculo, et zelo pro Judaismo accensus omnium vestimenta custodiebat, ut sine sollicitudine lapidarent, quatenus sic omnium magis juvaret. Sedebat autem Saulus supra vestimenta et petram fremens in Stephanum et blasphemans Christum. Hunc ergo locum deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

De loco, ubi S. Stephanus fuit lapidatus.

Paululum ab illa petra descendimus contra torrentem Cedron, et ad locum venimus, in quo Stephanus fuit lapidatus, ubi propositis genibus pro lapidantibus orabat, et cum gaudio suscepit lapides. Igitur canitur de eo: Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Quantum autem oratio Stephanii valuerit, dicit Augustinus: si Stephanus non orasset, ecclesia Paulum non haberet. In hoc ergo loco ipsos lapides deosculati sumus, et indulgentias suscepimus (†). Siquidem locus ille repletus est lapidibus limpidissimis torrentis. In illo loco quondam stetit ecclesia venerabilis, cuius tamen vix comprehendi possunt vestiga. Ad sinistram enim adhuc remanserunt aliqui muri. Locus ille valde sanctus est, quia ibi mortem, quam Salvator pro omnibus pati dignatus est, ipse Stephanus primus in hoc loco reddidit Salvatori.

